

VVERNHERVS VVELFLIN MEDICVS BASILIENSIS.



Vernherus ille Rotenburgi ad Nicrum in opido Sueviæ natus & educatus fuit. Is felici ingenio prædictus à teneris annis literis incubuit, atque Vniuersitates passim uisitauit. Itaq; factum ut in virum doctissimum, philosophum, et Medicum evaserit. Hic cum nouam Academiam Basileæ à Pio secundo confirmatam intellexisset, eò sese contulit, atque primi Rectoris electioni interfuit. Is etiam ob morum integritatem & multifariam eruditionem Medicinæ professor, atq; eius Facultatis primus Decanus constitutus fuit, anno millesimo quadringentesimo sexagesimo. Itaque id officium assumptum, magna diligentia administravit, atque eius ordinis leges & statuta scripsit & publicauit. In ciuitate etiam magna laude Medicinam exercuit.